

ret: Denique certus erat, Deum in causa equissima minime defuturum iustis conatibus. Vnde non tam corporali robore aut numero militum, quam fide sua in Deum & praesidio adiutus diuino victoriam est consecutus.

PERSECVTVS EST VSQVE AD DAN. Modus administrati belli describitur: in quo ad victoriam parandam plurimum momenti est situm. *Primum* absque mora hostes persequitur. Nihil enim celeritate in bellis plus valet. *πολλαχῶς τὸ τάχος μᾶλλον τῆς βίας* *ἔλεπράττεται τὰ δεύτα* inquit Xenoph. Iosephus ait, quinto demum die affecutum fuisse hostes cum praeda domum festinantes: nec mirum: ab Hebron enim Dan videtur XL. milliar. abesse. *VSQVE AD DAN.* Dan vnus ex fontibus Iordanis: alter Ior dictus: vnde riuu coeuntes Iordanem efficiunt. Erat ad radices Libani: vbi oppidum *Lais*: postea dictum *Dan*, tandē à Philippo Tetrarcha in gratiam Tiberii *Cæsarea Philippi*, postremo ab Agrippa *Neronia*, in honorem Neronis. Hieronymus vocat oppidum *Phœnices* suo tempore dictum *Paneas* à Romanis. Sed de fonte Iordanis hic accipio, quia oppidum demum post obitum Moïsi nomen *Dan* accepit, Ios. 19. 47. & Iud. 18.

Deinde vbi ventum est ad hostem, vtitur consilio & stratagemate diuidens copias suas & sociorum in plures turmas, vt pluribus locis hostes inuadat. Noctu in tenebris impetum facit in hostes somno vinoque sepultos, vel certe periculorum securos. Nec deest consilio successus. Hostes enim profligat, castris exiit, persequitur, omnemq; praedā recuperat. Quis vero dubitet Deum hic Abrami fuisse *πρόμαχον* & hostium profligatorem. Interim ad parandam victoriam accessit egregia virtus, prudentia & fortitudo Abrami.

Hinc patet primo currus & equos parari ad praelium; sed victoriam esse à le-

A houa, quod Melchisedec praedicat ver. 20. *Benedictus Deus, qui tradidit hostes tuas in manum tuam.*

Secundo Bella consilio magis & animi vigore quam corporis robore, nec tam multitudine quam recta disciplina & alacritate militum prospere geri, sicut dicitur Prouerb. 20. 18. *Cogitationes consilio firmantur: & consiliis fac bellum.* Et cap. 24. 5. *Vir sapiens est in fortitudine: & vir peritus roborat vires: Quia consilio facies bellum, &c.*

B Tertio Deum fortunare consilia piorum pro eius gloria & Ecclesiae atque fratrum defensione suscepta. Quod si non semper respondeat successus, cogitemus intercurrere causas alias victoriam impediens, fiduciam armorum, securitatem, temeritatem, &c. sicuti hi quatuor reges carnalis securitatis penas luunt.

16. REDVXITQVE OMNEM SUBSTANTIAM. Lata Catastrophe belli periculosissimi. Abram victor & triumphator hostium spoliis onustus omnem substantiam Sodomitis ablatam, cum primis Lotum, cuius causa tantum laborem susceperat, omnesque facultates eius insuperque omnem captiuorum turbam incolumem reducit. Memorabile exemplum bonitatis Dei. Propter vnum Lotum suscepta expeditio: solus seruari merebatur: Propter eum etiam Sodomæ improbi seruantur, & libertati restituntur. *Vides, inquit Chrysostomus, quare aliis fuga elabentibus Lot captiuus abductus est, nempe vt & patriarchæ virtus claresceret, & propter ipsum alii multi salutem consequerentur.* Indigni quidem erant hoc beneficio, sed cumulat Deus beneficiis: etiam improbos propter pios, vt intelligentes, quanto opere istos diligit, ipsi quoque exemplo eorum relipiscant: obstinati vero & ingrati fiant *ἀναπολόγητοι*, grauiusque luant.

TER-

Dan fons  
Iordanis ter-  
minus CA-  
LANA.

Ioseph. 1. 20.  
16. Anti.